



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

IX. Virgines Beatam dicunt; quia est Thesaurus Castitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Sed & ipsa Virgo S. aliquando egit Magistram. Certè de S. *Catharina Senens* in ejus vita scribitur. Quòd cum rudis omnia legendi prima elementa literarum magno conatu ediceret, nec multum proficeret, invocata SS. Virgine, subibit non tantum legendi peritiam accepit, sed etiam ad arduas difficilesq; Theologie quaestiones, quas ei interdum objecerunt eruditissimi, promptissime respondebat, & difficillima S. Scripturae loca interpretabatur. Eadem Dei Mater S. *Origenem. Ord. Erem. S. Augustini, & Socias illius* edocuit legere. *Poll. in Jan.* Eadem sine dubio mellifluum os Bernardi effecit, cum ei tres guttas lactis instillavit; quo suscepto laudes quam plurimas caelorum Reginae composuit. Ita *Chrysof. Henricus* in suo *Menologio* die 13. *Maij.*

9. Virgines Beatam dicunt, quia est
Theaurus Castitatis.

Chrysof. apud Metaphr. Quaecunque estis Virgines ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem professionem patrocinio suo vobis conservabit. Venite etiam non Virgines, & et hoc Thesauro accipite castitatem. Ut *Richard. lib. 1. ejus vite.* Ex hoc & alio. Nam ut *Concilio Eptes. cap. 7.* Maria impollutus, & purus impollutae Virginitatis Theaurus, Decusque & Ornamentum. Ipsa enim ut ait *S. Joseph Confessor Men. 4. Jan. ode 3.* Cum ante partum, tum in partu semper illaesa Virginitate fultis Mater, & Virgo. Ipsa ut *S. Theophil. Men. 7. Jan. ode 1.* Virginitatis sacratissimum Templum. Ut *S. Damasc. 27. Jan. ode 5.* Super omnem castitatis perfectionem evecta, rubicunda & cocco tincta Virginitatis Rosa. Quia ut *idem ibidem ode 7.* Est Fons integritatis, munditiarum omnium Promptuarium. Ipsa teste *Spontio Cantic. 2. Liliun inter spinas.* Hoc est ut interpretatur ibi *Dionys. Carthus.* Illius respectu reliquorum Virginitas quasi spinæ videntur. Adeo ut *S. Sabbas 30. Jan.* dicat. Equidem tibi fulgens Angelus adstitit, sed Virginitatis tux fulgoribus adeo repercussus, ut tui splendoris admiratione, gloriolæ lucis suæ oblivisceretur, undè cum tremore salutationem peregit. Itaque docet *S. Romanus Diaconus in Men. 10. Febr.* Quòd Angelorum puritatem transcendat. Quidni & nobis eam impertiat. *S. Ambrosius* siquidem docet *lib. de instit. Virg. cap. 7.* Quòd videntis tanta erat ejus gratia, ut non solum in se Virginitatis gratiam servaret, sed etiam his quos videret integritatis insigne conferret.

Quod undè processerit, & quomodo factum facile intelliget, qui attendit quid dicat *Novarius lib. 4. elect. sum. 419.* Impura ipsa Angelorum puritas est
Virginea

puritati comparata. *Stelle non sunt munda in ejus conspectu.* Job 25. Angeli enim qui stellarum nomine significantur Virgineæ puritati comparati, mundi quodammodo apparent.

Unde cum *Eccles. Græca in Men. 4. Martij* oremus. Tu ô Virgo tanquam firmamentum fidelibus datum à Christo, qui ad tantam te gloriam evexit, continentia nos robore mature accinge. Accinxit illum Fratrem Regis Hungariæ, de quo *S. Anselm. epist. ad Coepisc. Angliæ.* Qui dum graviter infirmus D. Virgini pro vita vovit castitatem, statim luce cubiculum refulsit, & lucem secuta sanitas. Sed & quod evenit multis eidem accidit, hic electus in Regem, cum sponsa deducitur ad templum, habebat autem constantissimum usum, quotidie ante cibum horas (ut vocant) Virginis orare, commemorat nondum se fecisse satis, incipit, & ad verba devenit. Quam pulchra est, & quam decora. Clarissima Virgo ante altare comparet Angelis adstantibus, & ait Juveni: Si pulchra sum, & decora, ut dicis, cur me dimittens aliam sponsam elegisti? Juvenis subjecit. O Domina quid me jubes facere? at illa, si sponsam carnalem amore meo dimittis, me in Sponsam cælesti in regno habebis. His auditis juvenis clam regnum deseruit, Aquilejam venit, super rupem vitam eremiticam duxit, ac demum sanctitate sua proditus, in Patriarcham loci electus, gratitudinis ergo & obedientia (nam hoc Virgo imperaverat) festum Conceptionis devotè obeundum constituit.

Quam meritò *Ephrem orat. de Deip.* appellat. Coronam Virginum. *Cyrillus Alex. hom. 6. contra Nestoriū.* Virginitatis Coronā. *Idesons. serm. 1. de Assumpt.* Fastigium omnium Virg. Et *serm. 3.* Exemplū perfectæ Virginitatis. Et *sermone 4.* Caput Virginum. *Damasc. orat. 1. de Nativ. B. M. V.* Thesaurum Virginitatis. *Chrysolog. serm. 23.* Reginam totius castitatis. *Anselm. de excell. Virg. cap. ult.* Matrem Virginitatis. *Grison serm. de Concept. Virg.* Dico quod Physiognomia Virginis movebat aspicientes ad omnem castitatem, & luxuriosas extinguebat, mortificabatque cogitationes, hac donante Justina vicit dæmonem à Cypriano immisum, vicit, & Cyprianum ad castitatem reduxit, & lucrata est socium martyrij. Ut *Daavolt. cap. 2. exempl. tit. 39.* Ugo *Carenfis in cap. 8. cant. B.* Virgo Murus est stabilis & firmus, nobis ad defensionem & munitionem datus, in cujus persona subditur. *Ego Murus.* *Cantic. 8.* Per exemplum scilicet pudicitia habet etiam pudicitia curam, cujus ipsa prima Deo votum fecit. Bene *S. Cyrill. hom. 6. contra Nestorium* vocat illam Lampadem inextinguibilem, illam nimirū, cum qua Gedeon hostes vicit. *Ambros. de Injbit. Virg. cap. 5.* Egredia Maria, quæ signum sanctæ Virginitatis extulit, & intemeratæ

intemeratæ Virginitatis pium Christo vexillum levavit. Nimirum & pugna, & castra debent esse, ubi Virginitas. Cantic. 6. Quæ est ita terribilis, ut castrorum acies ordinata. *S. Paschas. in Psalmo 44.* Ut sciatis Virginitatem semper debere esse armatam, acsi in acie. *S. Thomas de Villanova concione. 2. de Annunc.* Sacra, pura, & immaculata Virgo, cui etiã præ alijs hoc erat Virginitatis nsigne, ut inspectores suos, ut ita dixerim Virgines faceret, erat enim in ea, ut Prophetæ utar eloquio, Virgines germinans Virginitas, Consonat *Alexander Alensis 3. p. 9. n. 2. 4. 5.* Tanta fuit in Virgine sanctificatio, ut etiam extenderetur ad alios, undè etiam dicuntur fideles, cum Maria pulcherrima fuerit, à nullo tamen unquam potuit concupiscentia, & hoc erat, quia virtus suæ castitatis & sanctitatis extinguebat omnem motum carnalem in alijs aspicientibus ipsam. Undè meritò Joseph eundo in Ægyptum cum illa, non timuit sibi ut quondam Abraham propter Saram.

Idem *Gerson serm. de Nativit. Virg. consid. 3.* Nullus aspectu Virginis quævis esset pulcherrima nimis, urebatur, aut inflammabatur ad carnis fædam concupiscentiam, sed eam potiùs extinguebat Divinus ille aspectus quasi frigida quidam ros per oculos Virgineos expiraret, vel efflueret à mente sua castissima. *Damasc. in Men. 27. Jan. strophà 4.* sic Virginem salutatur. Salve munditiarum omnium Promptuarium. *Albert. M. super Missus cap. 82.* B. Virgo est Mater omnium in Virginitate, quæ prima sine præcepto, consilio, vel exemplo Virginitatis munus Deo obtulit, per quod omnes Virgines per imitationem Virginitatis genuit.

Hinc credo dicitur ab *Epiphani. heres. 78.* Princeps Virginitatis. Ab *Ambr. de instit. Virg. cap. 6.* Magistra Virginitatis. A *Chrysol. serm. 143.* Virginitatis Decus, integritatis Corona, Decus totius castitatis. A *Leandro Hispano in instit. Virg. Mater & Dux Virginum.* A *Damasceno orat. de Nativ. ejusd. Virginitatis Thesaurus.* Ab *Jdiota in contemp. de B. Virgine cap. 6.* Virginitatis Principia. Ab *Ansel. lib. de excell. Virg. capite ultimo.* Mater Virginitatis. A *Bernardo serm. super Missus.* Regina Virginum. Et *serm. super Signum Magnum.* Virginitatis Primiceria. A *Richardo, à S. Lauv. de laud. Virg. lib. 3.* & *Alex. Alens. in Psal. 68.* Signifera & Exemplar Virginitatis. Ab *Alano Insulensi in cap. 1. cantic.* Signifera Virginitatis. Ab *Alberto Magno in Mariali cap. 182.* Mater Virginum, A *Bonaventura in B. V. Virginum Signifera, Flos Virginitatis, & Decus, nova Virginum Excelsitatio. In speculo verè lect. 2.* Primitiva Virginum.

Hic jam exclamemus cum *Cyrillo Alexandr. hom. 6. contra Nestor.* Salve Sancta Deipara, pretiosus totius orbis Thesaurus, Lampas inextinguibilis, Corona

Virg

Virginitatis, Sceptrum rectæ Doctrinæ, Templum insolubile. Nam ut *Proclus Archiep. Constantinop. hom. in Nativ.* Hæc illibata Virginitatis purus ille Thefaurus, Decusque & Ornamentum. *Albertus M. in S. Lucam.* Maria interpretatur amarum Mare, quia noxias delectationes nostras, ut amarum mare amaricat abundanter, terrenas voluptates carnisque illecebras, ac delectationes ita amaras reddit, ut omnes ab illis abhorreamus.

Hinc dixit *Damasc. orat. 1. de Nativ. Deip.* Tu Virginitatis feracissima Planta: per te enim Virginitatis pulchritudo latè se diffundit. Et consilium suggerit *Alb. M. in Luc.* Si illecebræ carnis te trahant, & superantes jam ad illicitas delectationes te propellant, baptisa te in amaritudine maris, & nomina Mariam, & sic pro certo in te ipso experieris, quod justè vocatum est nomen Virginis Maria. *Buteo in hymno.* Corona Virginitatis. *Ambros. lib. 2. de Virg.* Disciplina omnium Virginitum. *Idesons. cap. 10. de Virg. B. V.* Æternitas Virginitatis. *Gisela. Altercat. cap. 19.* Princeps Virginitum prævia. *Bonav. in Psalt. min.* Flos Regalis. *Sergius Hierapol. orat. de Nativ. B. Virginis.* Decus singulare & Ornamentum Virginitatis. *S. Ephrem de laud. B. V.* Corona Virginitum ob immensum fulgorem, & splendorem inaccessa. *Richard. à S. Lauy. lib. 4. pag. 234.* Signifera & Exemplar Virginitatis. *Eucherius Presbyter.* Complémentum puritatis, & virtutis.

Audiamus jam *Chrysostomum* qui *serm. de B. Virgine* adhortatur. Quæcunque estis Virgines ad Matrem Domini confugite, illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem vobis patrocinio suo conservabit. Causam etiam supradictorum dat. *S. Thomas in 3. p. dist. 3. q. 1. art. 2. q. 1. ode 4.* Gratia sanctificationis in B. Virgine non tantùm repressit in ea motus illicitos, sed etiam in alijs efficaciam habuit, ita ut quamvis esset pulchra, à nullo unquam potuit concupisci. Et ut citatus *Alensis 3. p. q. 9. n. 2. art. 5.* Beata Virgo suo aspectu concupiscentiæ motus extinxit.

10. Confessores Beatam dicunt.
Quia preces illorum Deo offert.

Venite invitat *S. Sabbas 3. Jan. ode 9. Men.* atque omnes mentibus puris intaminatisque labijs gloriosè laudemus illam Emanuuelis intemeratam ac super omnes Virgines purissimam Matrem; sacrificia Deo ex illa nato per eandem offerentes. *Andr. Cret. orat. 2. de dormit. B. Virg.* Precibus nostris misericorditer annuens (Deus) respondet, & per illam tanquam per Advocatricem orationes nostras